

pcena ipsa potius, qua cruciatur armari. Considerate quid sit, charissimi fra-
 tres, omnem martyrij firmitatem sensibus uestris animisq; proponite. Ecce
 animi cuiuslibet passione uocati gaudent iam pridem acciti e seculo marty-
 res, gaudent bonorum omnium nuncij, gaudet pariter electi, ibi latatur mi-
 lite suo dominus, latatur teste nominis sui Christus. Parum est quod dico,
 fratres charissimi, parum est, ita mihi magna ratio in hoc genere dicendi, ac
 moles admiranda suscepta: sed arbitrij, quaeso uos, grauitas ab intentione
 propria non desit, sciens tantum de martyrio posse dici, quantum potuerit asti-
 mari. Vnde & hæc sola exequenda laudis fuit causa, non quo parè me glo-
 riæ, atq; idoneum iudicarem, sed quod tantâ in illis cernerem esse uirtutē, ut
 & si parum de eo dicerem, plurimū me dixisse profiterer. Nam præferatur li-
 cet bono fidei custodita iustitia, melioremq; se inter omnium laudes uirgini-
 tas immaculata cognoscat: cedat ita, ne sanguis summittatur cruori, illi ele-
 runt bonū, imitati sunt Christum. Nunc uero, charissimi fratres, ne quis me
 arbitretur, omnem salutem, non alijs tantum q̃ in martyrio collocasse: hoc
 profecto respiciat, neq; me tantum esse, qui loqui uideor, neq; ita, sed habe-
 re ordinem rerum, ut immortalitatis spes repromissa unius partis latere ni-
 tatur. Sed quoniam ita suo ore testatur esse habitacula penes patrem mul-
 ta: mihi maius credidi eam gloriam, qua probantur hic homines, qui secula-
 ri indigni sunt uita. Igitur charissimi fratres, æmula religione certantes, uelut
incentiuo quodam mercedis agitati, omnem uirium copiam tolerantiamq;
subeamus. Non enim mouere nos debent caduca, quæ semper, & quæ iam
 euerſionem suam non modo lege proposita, sed & iam ipſo fine temporis
 arguunt. Exclamat Ioannes & dicit: Iam quidem securis ad radicem arboris
 posita est, monstrans scilicet & ostēdens ultimam esse rerum omnium sene-
 ctutem. Sed & ipse dominus: Ambulate, inquit, dum lucem habetis, ne uos
 tenebræ comprehendant. Quod si illo tempore ambulandū nobis esse præ-
 dixit: quæ ut nos magis ambulemus ostendit, atq; ut ad laudem martyrij
 redeam, uox est beatissimi Pauli dicentis: Quoniam qui in agone currunt,
 multi certant, unus autem accipit palmam, uos autē sic currite, ut omnes co-
 ronemini. Sed & alibi quod ad martyrium possit hortari, cohæredes nos
 Christi uocauit, quin etiam nec omitteret. Si cum Christo, inquit, commor-
 tui estis, quid tanquam uiuentes in hoc mundo decernitis? Etenim charissi-
 mi fratres, qui resurrectionis præmia sustinemus, qui iudicij diē quærimus,
 qui deniq; cum Christo regnaturi sumus, seculo mortui esse debemus. Nec
 poteris optare martyrium, nisi ante oderis seculū, nec peruenire ad dei præ-
 mium, nisi amaueris Christum. Non amat seculū, Christus enim abiectus
 est seculo, sicut & seculum Christo. Ita ut scriptum est: Mundus mihi crucifi-
 xus est, & ego mundo. Nemini amabilis fuit mundus, quem non ante da-
 mnauerit dominus, nec salute potuit frui æterna, qui mundi gloriatus est ui-
 ta, uox

Mat. 5

Ioan. 12

1. Cor. 9

Roma. 8

Gal. 6